

partem Bohemiæ & totam ferè Misniam, quæ nunc ita vocatur, tenuerunt. Eiusdem sententiæ *Phil. Melancthon* fuit, ideoque verba doctissimi viri merentur heic legi: Sic ait in *expositione Regionum & gentium, quæ in lib. Taciti de mor. Germ. recensentur*: Hermunduri populi in aditu Bohemiæ, & ea regione, quæ nunc Misna & Voilandia dicitur. Nam Tacitus clarè affirmat Albim oriri in Hermunduris; Et ad Albim fuisse sedem Hermundurorum, inquit Strabo, qui vicinos attribuit Longobardos, de quibus supra dixi. Vellejus attribuit vicinos Senonas, sed hi in ripa Albis septentrionali fuerunt. Tacitus scribit Cattos cum Hermunduris de Salis fontibus dimicasse: Credibile est enim, Cattos cum aliquam partem Turingiæ tenerent, progressos, utilitatis magnitudine invitatos esse, ut armis occupare Salinas nobis vicinas conarentur. Sed sive hoc loco, sive ad aliam Salæ fluminis partem pugnatum est, haud dubie Hermunduri inter Albim & Salam & Sudetes montes sedem habuerunt. Hunc trigonum hodie vocamus Misnam: A Bohemicis montibus inter Albim & Salam, usq; ad eorum confluentem. Idem *lib. IV. Chron. Carion. p. 399.* legitur. Ubi simul explicatur, quod Longobardorum sedes fuerit circa medium Albis, ad ripam occidentalem, ubi ditiones sunt Episcopatum Magdeburgensis & Halberstadenensis, cum parte Marchiæ veteris, *p. 398. & lib. III. de Longobard.* Sed ripa Albis dextra, ubi sunt Witeberga, deinde Jüterbock, fuit Semnonum, *Melanct. l. c.*

§. 7. Quod si autem quis fines Hermundurorum ad Orientem paullò longius extendere vellet, quemadmodum etiam aliqui faciunt, qui Freibergam Hermundurorum ad radices Sudetum Montium non minus propter amoenitatem ab Hermunduris cultam esse asserunt, urgentes imprimis Taciti verba de Albis origine, *ex cap. 41. de M. G. diceremus*, distingvenda esse tempora, siquidem ista gens sua tuguriola etiam ad Salam habuit. Hoc vel exinde clarescit, quod vicini Thuringii atque Hermunduri planè iidem populi olim fuerint, quod Dn. Herm. Conringii verbis, *de Antiquissimo Helmstadii statu, describam*: Thuringos olim Hermunduros audiisse, ait, eandemque gentem jam olim inter præcipuas habitam, Augusti & Tiberii ævo Misniam tenuisse, & hinc ad Danubium usque progressam; ubi Taciti ævo contra Rhætiam & Vindeliciam ab Egræ usque tum Albi adscriptis fontibus, omnem Danubii oram Ulmam ferè usque possedisse; donec seculo tertio in mediterranea Germaniæ iterum redire, à Vandalis

dalis